



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 47. Vtrum in Deo detur voluntas, quæ sit actualis volitio sui ipsius, & aliorum, indincta à cognitione sui ipsius, & aliorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

QVÆSTIONVM THEOLOGICARVM

De Deo Trino, & Vno.

LIBER SECVNDVS.

Continens Tractatus de Voluntate Dei, de Prouidentia,
& Prædestinatione, ac de Trinitate.

TRACTATVS V.

*De Diuina voluntate, vita, ac
Beatitudine.*



OSTQVAM S. Thomas
quæstione 14. 15. 16. &
17. egit de ijs, quæ spe-
ctant ad intellectum, &
Scientiam Dei, quæst. 18.
agit de vita Dei, quæstio-
ne 19. 20. & 21. de Vo-
luntate, & amore Dei,
ac de virtutibus diuinæ
voluntatis, ac præsertim de misericordia, &
iustitia. Doctrinam harum quæstionum, nec
non de Beatitudine Dei, de qua S. Thomas
agit quæstione 26. explicabimus sequentibus
quæstionibus, quarum tituli videri possunt in
indice initio proposito.

QVÆSTIO XLVII.

*Utrum in Deo detur voluntas, quæ sit actualis
volitio sui ipsius, & aliorum, indi-
stincta à cognitione sui ipsi-
us, & aliorum?*

S. Th. q. 19. a. 1.

1. **P**rimo videtur in Deo non esse volun-
tas. Voluntas enim mouetur à fine,
& bono, & dirigitur ab intellectu, cum sit
potentia cæca, & ab Aristotele 2. de Anima
text. 34. dicitur esse mouens motum; sed
Deus est primum mouens immobile, & est
prima regula, adeoque incapax directionis;
ergo &c.

2. Secundò videtur, quod Deus non pos-
sit velle alia à se, sed solum seipsum. Volun-
tas enim, cui sufficit vnum volitum, eoque
satiatur, non potest velle alia; sed Deo suffi-
cit summa sua bonitas, eamque vult; ergo &c.

3. Tertiò videtur diuina voluntas non esse
ipsa actualis volitio. Nam est indifferens ad
mundum volendum, vel nolendum; ergo
non est ipsa actualis volitio mundi, sed vult
mundum per actum distinctum à potentia vo-
litua.

4. Quartò videtur diuina volitio distingui
à diuina intellectione. Si enim Deo idem es-
set intelligere, ac velle, omnia, quæ Deus in-
telligit, veller; sed Deus intelligit tum bona,
tum mala; ergo Deus veller tum bona, tum
mala, quod est absurdum; siquidem Deus
vult solum bona, mala autem non vult, sed
purè permittit.

5. Respondeo, quod proportionaliter ad
dicta de diuina cognitione philosophandum
est de diuina voluntate.

6. Dicendum igitur primò: datur in Deo
voluntas. Probatur primò: ex dictis enim
quæst. 16. Deus est prima, & adæquata ratio
totius entis, totius boni, & pulchri, quod dat-
tur; ergo si Deus non haberet voluntatem,
qua vellet, & rationabiliter inenderet bo-
num, & pulchrum, quod datur tum in Deo,
tum extrà Deum, totum bonum, & pul-
chrum daretur per accidens, & non ex ratio-
nabili intentione, quod est absurdum, sicut
esset absurdum quod pulcritudo templi San-
cti Petri non fuisset rationabiliter intenta ab
artifice.

7. Probatur secundò. Nam esse intenti-
um boni appetitu non purè innato, sed elici-
to, non purè sensitiuo, sed rationali, est per-
fectio simpliciter simplex, & datur in creatu-
ris; sed Deus habet formaliter omnes perfe-
ctiones simpliciter simplices; ergo Deus est
intentius boni appetitu elicto rationali; sed
sola voluntas est intentiua boni appetitu elicto
rationali; ergo &c.

8. Probatur tertiò ratione, quæ quia ma-
ximè est à priori, vnicè affertur à S. Thoma
hic quæst. 19. art. 1. Vnaquæque res appetit
suam bonum appetitu proportionaliter corre-
spondente modo essendi, ideoque si habet esse
purè naturale, appetit suum bonum appetitu
purè naturali; si habet esse sensitiuum, appe-
tit

tit suum bonum appetitui sensitiuo: si habet esse rationale, & intellectiuium, appetit suum bonum appetitui rationali, & intellectiui, qui dicitur voluntas; sed Deus habet esse summè intellectiuium, vt ostensum est quæst. 41. ergo &c. Probatur maior, & explicatur argumentum. Inclinatio in bonum vocatur appetitus; & quidē inclinatio, qua res inclinatur purè ex natura, non autem ex cognitione, qua bonum apprehendat, dicitur appetitus purè naturalis, & innatus: inclinatio, qua res inclinatur in bonum sensibile ex cognitione sensitiua, qua illud apprehendit, dicitur appetitus sensitiuus, siue animalis: inclinatio, qua res inclinatur in bonum ex cognitione intellectiua, qua illud apprehendit, dicitur appetitus rationalis, & intellectiuius, seu voluntas, & vterque appetitus tum sensitiuus, tum rationalis vocatur elicitus; sed res purè naturales inclinantur in bonum purè ex natura, adeoque appetitui purè naturali, eo pacto, quo grauius, & leuius habent inclinationem, qua feruntur ad sua loca naturalia, & in illis quiescunt: entia sensitiua, hoc est animalia ex apprehensione sensitiua boni sensibilibus inclinantur ad illud appetitui sensitiuo: entia intellectiua ex apprehensione intellectiua boni inclinantur ad illud appetitui rationali, qui vocatur voluntas, vt patet experientia in nobis ipsis; ergo &c.

9. Dicendum secundò: in Deo non datur appetitus purè innatus, sed elicitus, non sensitiuus, sed intellectiuius. Probatur: nam appetitus purè innatus est inclinatio in bonum, & non ex cognitione, qua id, quod inclinatur, cognoscat bonum; sed in Deo nulla datur inclinatio, quæ non sit ex cognitione, qua Deus cognoscat bonum; ergo &c. Probatur minor: nam in Deo nulla datur inclinatio in bonum, quæ non sit ex essentia diuina, quæ est prima ratio omnium; sed essentia diuina est ipsa actualis cognitio, qua Deus comprehendit omne bonum, vt dictum est quæst. 41. numer. 6. ergo in Deo nulla datur inclinatio, quæ non sit ex cognitione: & quia cognitio Dei non est sensitiua, sed purè intellectiua, ideo Deus inclinatur in bonum appetitui non sensitiuo, sed purè intellectiuiuo.

10. Dicendum tertio: Deus non solum est volitiuus, sed est ipsa actualis volitio sui ipsius, & omnium. Probatur: Deus enim nullum prædicatum habet per accidens, & non ex intentione; e.g. non est sapiens, bonus, omnipotens per accidens, sed per se, & ex intentione; sed cum Deus sit adequatè à se ipso, si non esset volitio, & intentio actualis omnium suorum prædicatorum, aliquod prædicatum haberet per accidens, & non ex intentione: e.g. si Deus non esset volitio, qua vult esse infinitè perfectus, cum prædicatum infinitè perfecti habeat adequatè à se, tale prædicatum haberet non ex intentione; ergo Deus est prima actualis volitio, & intentio omnium

suorum prædicatorum. Ex proportionali ratione Deus est ipsa actualis volitio, & intentio, qua vult omnia, quæ sunt possibilis, esse possibilis, omnia, quæ sunt impossibilis, esse impossibilis &c. Cum enim Deus sit prima ratio, cur possibilis sint possibilis, & impossibilis sint impossibilis &c, si non esset actualis intentio, & volitio omnium horum, possibilis essent possibilis, & impossibilis essent impossibilis per accidens, & non ex intentione quod est absurdum, vt sæpè dictum est.

11. Ex eo, quod Deus sit ipsa actualis volitio, inferitur primò in Deo substantiam volentem non distingui ab actuali volitione, & quod non distingui à quo. Secundò inferitur in Deo non dari potentiam physicam volendi, hoc est potentiam receptiuam, vel productiuam volitionis, sed dari solum potentiam logicam volendi, hoc est non repugnantiam ad volendum. Tertiò inferitur in Deo non dari potentiam formalem volendi superadditam essentia, neque dari volitium radicale, hoc est substantiam, cui debeat formalis potentia volendi superaddita, neque dari habitum, vel actum primum volendi, nomine habitus intelligendo facilitatem volendi superadditam potentia, & nomine actus primi intelligendo virtutem productiuam volitionis. Probantur illationes: nam cum essentia diuina sit ipsa actualis volitio, non producit, neque recipit volitionem, cum non producat, neque recipiat se ipsam. Rursus non habet vllam potentiam, vel facilitatem distinctam ad volendum, cum non habeat potentiam, aut facilitatem distinctam à se ipsa. Deus igitur sicut est intellectus in actu puro, sic est voluntas in actu puro, ita vt sit ipse actus volendi, sine vlla potentia physica producendi, vel recipiendi volitionem, qua constituitur volens. Videri possunt, quæ de intellectu dicta sunt quæstione 41. num. 7.

12. Dicendum quarto: in Deo actualis cognitio comprehensiva sui ipsius, & omnium aliorum, & actualis volitio sui ipsius, & omnium aliorum secundum prædicata necessaria, sunt omninò idem sine vlla distinctione obiectiua.

13. Probatur: nam cum Deus, & omnia alia habeant multa prædicata necessaria ab essentia diuina, tanquam à prima ratione, ne Deus, & alia habeant vllum prædicatum necessarium casu, hoc est non ex cognitione diuina, essentia debet esse actualis cognitio omnium prædicatorum necessariorum, quæ conueniunt Deo, & omnibus alijs; & ne habeant vllum prædicatum necessarium per accidens, hoc est non ex intentione diuina, essentia debet esse actualis volitio, & intentio omnium prædicatorum necessariorum; sed diuina essentia, seu prima ratio omnium debet esse vna, & omninò simplex sine vlla distinctione obiectiua, vt probatum est quæstione 22. ergo in diuina essentia tanquam in prima ratione

om-

omnium, debent identificari actualis cognitio comprehensiva, & actualis volitio omnium.

14. Confirmatur: nam prima ratio est omnino simplex, & adæquatè à se ipsa; ergo si non est cognitio sui ipsius, est, & non ex cognitione, adeoque est casu: si non est volitio sui ipsius, est non ex intentione, adeoque per accidens; sed utrumque est absurdum; ergo prima ratio est simul cognitio, & volitio sui ipsius.

15. Ad 1. distinguo maiorem: voluntas in quantum abstrahit à creata, & increata mouetur analogicè à fine, & bono, & analogicè dirigitur ab intellectu, concedo: mouetur, & dirigitur propriè, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. De ratione voluntatis *ut sic* est, vt ab obiecto formali, & à fine habet actum volendi, & hoc est moueri analogicè ab obiecto formali, & à fine: de ratione eiusdem voluntatis est, vt habeat suam rectitudinem ab intellectu, & hoc est analogicè dirigi; sed voluntas diuina, est adæquatè à se ipsa, estque finis, atque obiectum formale sui ipsius, & identificatur cum intellectu, vt ostensum est; ergo voluntas diuina sicut habet adæquatè à se ipsa actum volendi, eiusque rectitudinem, sic habet actum volendi à fine, & obiecto formali, & habet suam rectitudinem ab intellectu, adeoque dirigitur analogicè. Aristoteles dicens voluntatem esse mouens motum, vel loquitur de sola voluntate creata, vel loquitur de motu analogicè, sicut de motu analogicè loquitur Plato, dum dicit Deum esse mouens se ipsum per hoc, quod à se ipso habeat actus intelligendi, & volendi. Plato itaque dicens Deum esse mouens se ipsum, & Aristoteles dicens, Deum esse mouens immobile, non sibi contradicunt, vt aduertit S. Thomas hic quæst. 29. art. 1. ad 3. Nam Aristoteles dicit Deum esse propriè immobilem, quia non potest in se causare vllum motum, & vllam mutationem; Plato dicit Deum mouere se ipsum analogicè, quia habet à se ipso actus intelligendi, & volendi.

16. Infertur, quod ex eodem principio, ex quo sequitur in creaturis cognoscens, cognitionem, speciem intelligibilem, volens, volitionem, & obiectum formale, non posse identificari, sequitur hæc eadem in Deo non posse distinguui. Explicatur. Assumitur tanquam principium, quod cognitio debet esse à cognoscente, ab obiecto formali & à specie intelligibili; sed cognitio creata, cum non sit à se, si esset idem cum cognoscente, vel cum obiecto formali, aut cum specie intelligibili, non haberet esse à cognoscente, neque ab obiecto formali, neque à specie intelligibili; e conuerso cognitio diuina cum sit adæquatè à se, & non ab vilo distincto, si distingueretur à cognoscente, vel ab obiecto formali, vel à specie intelligibili, non haberet esse à cognoscente &c. ergo cognitio creata non potest identificari cum his,

cognitio increata non potest distinguui ab his. Rursus assumitur quod volitio debet esse à volente, à cognitione, & ab obiecto formali; sed volitio creata cum non sit à se, si esset idem cum his, non esset ab his, volitio increata cum sit à se, & non ab vilo distincto, si distingueretur ab his, non esset ab his; ergo &c.

17. Ad 2. distinguo maiorem: voluntas, cui sufficit vnum volitum, non potest velle alia, nisi ex hoc motiuo sufficientiæ, concedo: non potest velle alia absolutè, nego. Deus, cui sufficit sua bonitas, ex hoc ipso motiuo, quia decet, vt qui habet bonum vndique sufficiens, communicet illud alijs, potest velle, vt existant alia, vt explicabitur quæst. 49. num. 3.

18. Ad 3. concedo antecedens, & distinguo consequens; ergo diuina voluntas non est ipsa actualis volitio mundi, vt applicata mundo, concedo; vt applicabilis mundo applicatione distincta, nego; & nego consequentiam. Diuina voluntas ita est ipsa actualis volitio, vt sit indifferens ad hoc, vt applicetur, vel non applicetur ad liberè volendum obiecta, respectu quorum est libera. Ex hoc autem non sequitur diuinam voluntatem distinguui à volitione libera, sed solum sequitur distinguui à libera applicatione ad volendum obiecta, respectu quorum est libera, vt explicabitur infra quæst. 56. & seqq. cum agatur de formali constitutiuo actuum liberorum.

19. Ad 4. distinguo maiorem: si in Deo idem esset intelligere, ac velle adæquatione intellectionis, & volitionis, omnia, quæ Deus intelligit, vellet, nego; adæquatione etiam obiecti voliti, ac noliti, omnia, quæ intelligit, vellet, concedo maiorem: concedo minorem; & nego consequentiam. In Deo intelligere est idem, ac velle adæquatione intellectionis, & volitionis, ita vt nulla detur in Deo volitio, quæ non sit intellectio, & e conuerso. At intelligere, & velle non sunt idem adæquatione obiecti voliti, & intellecti, ita vt Deus omnia, quæ intelligit, velit. Nam etiam ea, quæ non vult, intelligit. Confirmatur solutio, quia simili argumento posset probari, quod eadem Deus affirmet, ac neget, arguendo: in Deo idem est affirmare, ac negare; Deus affirmat mundum esse; ergo negat mundum esse. Sophisma soluitur eadem distinctione.

QVÆSTIO XLVIII.

Virum diuina voluntas habeat pro obiecto materiali Deum, & omnia alia, pro obiecto autem formali solam diuinam essentiam, & bonitatem?

S. Th. q. 19. a. 2.

1. **P**rimò videtur diuina voluntas non habere pro obiecto materiali omnia. Obic-